

ne superni ignara consilii ad inusitatos paveret afatus, quod in ea operandum erat a Spiritu sancto, colloquio discit angelico, nec damnium credit pudoris Dei Genitrix mox futura. Cur enim de conceptionis novitate desperet, cui efficientia de Altissimi virtute promittitur? Confirmatur credentis fides etiam præventis attestazione miraculi, donaturque Elisabeth inopinata fecunditas, ut qui conceptum dederat sterili, daturus non dubitaretur et virgini. Verbum igitur Dei, Deus, Dei filius, qui in principio erat apud Deum, per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, propter liberandum ab æterna morte hominem factus est homo.

Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium; et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum; Qui pro salute mundi de Virgine nasci dignatus est. Dies sanctificatus illuxit nobis: venite gentes, et adorate Dominum. Qui.

Serm. secundæ de Nativitate Domini.

Lectio vi.

ADVENIENTIBUS ergo temporibus, dilectissimi, quæ redemptioni hominum fuerant præstituta,

ingreditur hæc infima Jesus Christus Dominus noster de cœlesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris, incomprehensibilis, voluit comprehendi, ante tempora manens esse cepit ex tempore: universitatis Dominus servilem formam obumbrata maternæ dignitate suscepit; impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, et immortalis mortis legibus subjacere. Nova autem nativitate genitus est, conceptus a virgine, natus ex virgine, sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis injuria: quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet humanæ substantiæ naturam, et humanæ carnis inquinamenta neciret. Auctor enim in carne nascentis Deus est, testante archangelo ad beatam Mariam Virginem: Quia Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.

Nesciens mater virgo virum, peperit sine dolore, Salvatorem sæculo-

rum, ipsum Regem angelorum sola Virgo lactabat ubere de cœlo pleno. Domus pudici pectoris templum repente fit Dei: intacta nesciens virum, verbo concepit Filium. Salvatorem.

Lectio vi.

ONICO dissimilis, sed natura consimilis: humano usu et consuetudine, quod credimus, caret; sed divina potestate subnixum est, quod virgo conceperit, quod virgo permanserit. Non hic cogitur parientis conditio sed nascentis arbitrium, qui sic homo natus est, ut volebat et poterat. Si veritatem quæris humanæ naturæ, cognosce maternam: si rationem scrutaris originis, virtutem confitere divinam. Venit enim Dominus Jesus Christus contagia nostra auferre, non perpeti; nec succumbere vitis, sed mederi. Venit, ut omnem languorem corruptionis, et universa vulnera sententium curaret animarum: propter quod oportuit, ut novo nasceretur ordine, qui novam impoluta sinceritatis gratiam humanis corporibus inferebat. Oportuit enim, ut primam Genitricis integritatem nascentis incorrupto custodiret, et completum sibi claustrum

pudoris, et sanctitatis hospitiū divini Spiritus virtus infusa servaret, quæ statuerat dejecta erigere, contracta solidare, et supercontracta carnis illecebris multiplicatam pudicitiam donare virtutem; ut virginitas, quæ in aliis non poterat salva esse generando, fieret in aliis imitabilis et confitendo, et renascendo.

Beatissima Virgo Maria, hortus conclusus, fons signatus, Regina angelorum, Domina mundi, Per quam Deus descendit in terras, ut homines ascendere mererentur ad cœlos. Ad te clamamus, exules filii Evæ: recordare nostri sanctissima Virgo. Per quam. Gloria Patri. Per quam.

In tertio Nocturno.

Ant. Gaude, Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. Ant. Pulchra es et decora, filia Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. Ant. Post partum, virgo, inviolata permansisti: Dei Genitrix, intercede pro nobis. Ergo eam Deus et prælegit eam. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. Cap. 2.

In illo tempore: Pastores loquebantur ad invicem:

Transecamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 2. in cap. 2. Luc.

Vides festinare pastores, nemo enim cum desidia Christum requirit. Vides pastores angelo credidisse: et tu Patri, Filio, Spiritui sancto, angelis, prophetis et apostolis crede. Vide quam signate Scriptura singulorum libret momenta verborum. Festinant, inquit, verbum videre. Etenim cum caro Domini videtur, verbum videtur quod est Filius.

Benedicta, filia, tu a Domino, quia per te fructum vite communicavimus: Sola sine exemplo Jacuisti Domino nostro Jesu Christo. Nostras deprecationes, ne despicias in necessitatibus nostris, et a periculis cunctis libera nos, sancta Dei Genitrix. Sola.

LECTIO VIII.

NON mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, non vilis persona pastorum. Certe quo vilior ad prudentiam, eo pretiosior ad fidem. Non gymnasia choris referta sapientum, sed plebem Dominum simplicem requisivit, quæ phalerare

audita et fucare nesciret. Simplicitas enim quaeritur, non ambitio desideratur. Nec contemnenda putes quasi vilia verba prophetarum. A pastori- bus etiam Maria fidem colligit. A pastori- bus etiam Maria fidem colligit. A pastori- bus etiam Maria fidem colligit.

A pastoribus populus ad Dei reverentiam congregatur. Mirati enim sunt de iis quæ dicebantur a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc, confrens in corde suo. Discamus sanctæ Virginis in omnibus castitatem, quæ non minus ore pudica quam corpore, argumenta fidei conferebat in corde.

Beata es, Maria Dei Genitrix, patrona et auxiliatrix nostra et omni laude dignissima. Ex qua ortus est Sol justitiæ Christus Deus noster, per quem salvati et redempti sumus. Ipsa est stella ex Jacob, cujus radius universum orbem illuminat. Ex qua. Gloria Patri. Ex qua.

LECTIO IX. DE DŪICA.

AD LAUDES,

et per Horas. *ANNA.*

Beata es, Virgo Maria Dei Genitrix, quæ credidisti Domino: perfecta sunt in te, quæ dicta sunt tibi. Ps. Dominus regnavit, cum reliquis de Dñica. *ANNA.* Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium, et beata ubera,

quæ lactaverunt Christum Dominum. *ANNA.* Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem: Dei Genitrix intercede pronobis. *ANNA.* Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob, Virgo peperit Salvatorem: te laudamus, Deus noster. *ANNA.* Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Capitulum. Eccles. 24.

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis. Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.

Hymn. O gloriosa Virginitas.

Benedicta tu in mulieribus. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Benedictus, ANNA.

Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum: te laudamus, Deus noster.

Oratio.

Deus, qui pro nobis ex intacto beatæ Mariæ Virginis utero Bethlehem nasci voluisti, tribue, quæsumus, ut ad perci-

piendum reparationis nostræ fructum Genitricis tui meritis ac precibus adjuvemur. Qui vivis.

Commemoratio Domini.

Ad Primam, in G. br. dicitur. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam, ANNA.

Beata viscera Mariæ. *Capitulum.* Ego quasi ut supra.

G. br. Specie tua, Et pulchritudine tua. Specie tua. Intende, prospere procede, et regna. Et Gloria Patri. Specie tua. Adjuvabit eam Deus vultu suo. Deus in medio ejus, non commovebitur.

Ad Sextam, ANNA.

Rubum, quem viderat.

Capitulum. Ecccl. 24.

TRANSIRE ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Memoria mea in generationibus sæculorum.

G. br. Adjuvabit eam,

Deus vultu suo. Adjuvabit. Deus in medio ejus, non commovebitur. Deus. Gloria Patri. Adjuvabit. Elegit eam Deus, et prælegit eam. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Ad Nonam, ANNA.

Ecce Maria.

Capitulum. Eccl. 24.
Quod audit me, non confundetur, et qui operatur in me, non peccabit. Qui elucidat me, vitam æternam habebunt.

℟. br. Elegit eam Deus, et prælegit eam. Elegit. **v.** In tabernaculo suo habitare facit eam. Et prælegit. **Gloria Patri. Elegit. v.** Diffusa est gratia in labiis tuis. **℟.** Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Vesperas, Antiphona, Psalmi, Capitulum, et Hymnus, ut in primis Vesperis.

v. Dignare me laudare te, Virgo sacra. **℟.** Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnificat, Antiphona.
 Ave clementia Mater, consolatrix afflictorum, salus infirmorum. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri. O Maria, Virgo prudentissima, ora pro nobis ad Dominum.

Oratio. Deus, qui pro nobis.

Commemoratio Dominice.

DIE XXX. JANUARIJ.

In Festo beati Sebastiani Valfre Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoria non Pontificis, præter sequentia.

Oratio.

Domine, ita pro animarum subsidio in tua dilectione mauere, sicut beatum Sebastianum Confessorem tuum ad multorum salutem novum tibi Sacerdotem fidelem suscitasti, Per Dominum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.
In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

SEBASTIANUS Valfre in oppido Verduno Albæ Pompejæ diœcesis humilibus, sed piis parentibus natus, a prima ætate haud dubia exhibuit futuræ sanctitatis argumenta. Eluxit quippe in puero præclara quædam bonæ, ac religiosæ mentis indoles, quam eum ad christianam abstinentiam, ac pauperum misericordiam mirifice atrahebat. In sortem Domini vocatus, quem omnes, quæ sibi adversarentur, difficultates superasset, adhuc adolescens Ecclesiæ ministeriis sese addixit. Majore mox desiderio flagrans totum se Deo, et animarum saluti devotendi, Congregationem Oratorii Augustæ Taurinorum ingressus est: quam vix inceptam, et adhuc male firmam, studio ac diligenter plane constituit. Ad Sacerdotium deinde evectus, sacræ Theologiæ lauream promeruit, et

in collegium doctorum cœoptatus est. His adjumentis instructus, et sancti Philippi Neri præsertim vestigia premens, id unum toto vitæ cursu spectavit, ut omni operum promoteretur Dei cultum, et in proximorum utilitates totus incumberet. In nosocomiis, in gymnasiis, in sanctimonialium cœnobis, in stationibus militum, in carceribus, in officinis, in agris, in plateis et urbis viis, denique in ipsa Regis aula singulorum iuvandis animis sedulam ac perpetuam impendit operam.

℟. Honestum fecit.

LECTIO V.

ADMIRABILIS vero exitus in pueris et plebe erudienda christianæ fidei præceptis; quod onus sustinuit ad ætatem ultimam tanta cum alacritate, quasi tum primum Sacerdotii stadium esset ingressus. Idem in Judæos præstitit atque hæreticos, quorum multos vel Christo adjunxit, vel communioni restituit. Confessarii muneri assiduus, plurimos a peccati servitute solutos, ad libertatem filiorum Dei traduxit; quodcumque genus hominum lenitate, et clementia alliciens, atque omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrifaceret. In opitulandis, qui

extremo supplicio afficerentur, miræ fuit a Deo efficacia dono ornatus. Nec minus gratia enituit, ægrotos ac morte proximis noctu diuque invivens; ejuſdem pietatem divina sæpe prodigia sequuta sunt. Eodem iuvandi proximis studio, puellas, quarum pudicitia periclitaretur ob inopiam rei familiaris, in tuto posuit. Perditas feminas a quæstu corporis ad continentiam convertit, eisque, ne egestatis prætextu iterum prolaberentur, vitæ subsidia comparavit. Denique in pauperes et omne miserorum genus ita fuit effusus, ut prope portenti loco habeatur tantam pecuniæ vim potuisse corrogari, quantum ipse unus in his sustentandis collocavit. Quæ sane admiranda viri charitas non Augustæ Taurinorum septa limitibus se continuit, sed ad singulas Galliæ Cisalpinæ, et Sabaudiaë provincias pervasit; quo factum est, ut omnibus his locis communis Parentis nomine appellaretur.

℟. Amavit eum.

LECTIO VI.

In hac tam varia atque intenta apostolica vitæ sollicitudine, studij orandi contemplandique numquam intermissit; ita ut videretur, tantis laboribus

defatigatus, identidem in Dei recordatione, et quasi amplexu acquiescere. Sanctissimam Salvatoris nostri Matrem tenerrimo amoris sensu venerabatur, eamque ut alii venerantur studiose curabat. Castitatem in omni vita prætulit singularem, quâ abstinentia, et corporis afflictationibus severe custodiebat. Supernis quoque donis a Deo ditatus, multa, partim abdita aperuit; partim longe a conspectu remota monstravit; partim etiam multo post futura prædixit. Talis cum esset, ita de se demisse humiliterque sentiebat, ut ex firma animi persuasione crederet, se mortaliæ omnium infimum in Oratorii Congregatione retineri aliorum indulgentia, et charitate. Archiepiscopatum vero Taurinensem magna animi contentione a Rege sibi delatum rejectit, ejusque Confessarii munus, quod in vitus susceperat, abdicavit: quærebaturque modis omnibus nihili se a quocumque fieri, sæpe tarditatem ingenii præferens, et generis humilitatem plus nimio augendo, aut prope inculcando. Demum senio ac laboribus debilitatus, et Ecclesiæ Sacramentis refectus, mortem, quam ante prædixerat, Augustæ Taurinorum

obit tertio Kalendas Februarii anno millesimo septingentesimo decimo, ætatis suæ annum agens primum supra octogesimum: quem Gregorius Decimus sextus Pontifex Maximus, virtutibus et miraculis conspicuum solemniori ritu in Beatorum numerum adscripsit.

¶ Iste homo.

In ij. Nocturno, *Homilia in Evangelium*, Sint lumbi vestri præcincti, ut in *Communium Conf. non Pontif.*

DIE III. FEBRUARII.

S. Blasii, Episcopi et martyris, patroni min. princip. Mexic.

Duplex majus.

Omnia de *Communium unius Martyr. ordine sequenti.*

Oratio. Deus qui nos, *Lectiones j. Noct., a Mileto. de Communium.*

In ij. Nocturno, *Lectio iv.* Blasii ut in *Breviario. v. Triumphalis. vj. Coronata. de Communium.*

In ij. Nocturno, *Homilia in Evangelium.* Si quis vult post me venire.

¶ *Angelopoli et ubicumque concessum fuerit.* Duplex.

Omnia de *Communium unius Martyris, præter sequentia.*

Oratio ut supra; *Lectiones j. Nocturni de Scriptura occurrente.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Blasius Cappadox, nobili genere ortus, habebat in Cappadocia ex medico Episcopus creatus est, ut corporum curationi animarum cura succederet. Huic muneri cum sedulam ac piam operam navaret, dira tempestas adversus christianos a Licinio tyranno excitata fuit. Blasius divino instinctu, Christi consilio et exemplo in montem Argæum se recepit, ac sese in speluncam abdidit, in qua rerum divinarum contemplationi vacans, ab ipsis feris nativæ feritatis oblitus quotidianum victum accipit, et multis obsequiis cultus est.

¶ Honestum fecit.

Lectio v.

In tamdiu latuit, dum ab Agricola præsidis militibus casu deprehensus, inde abstractus et ad præsidem ductus, illius jussu in vincula conjectus est. Sed victus ipse, multos quos ejus sanctimonie fama acciverat, a diversorum morborum vinculis liberavit. In his puer fuit, qui desperata a medicis salute, transversa spina faucibus in hærente, animam agebat. Illustris sane tum corporum, tum animorum medicus, non humana sed divina arte, non paratis a natura re-

mediis, sed Christi gratia comparatis, agros pristinae salutis restituit, omnifere miraculorum genere conspicuus; nam Christi super aquas ambulantis, et Eliæ Sareptanæ viduæ annonam multiplicantis miracula renovavit.

¶ Desiderium animæ.

Lectio vj.

Atrocissimis tormentis crudelissimi præsidis jussu cruciatus fuit. Duris verberibus cæsus, tortus in equileo, pectinibus ferreis dilaniatus, candenti lorica indutus, aliisque exquisitissimis supplicis affectus est. Sed ejus fides probari quidem potuit, non tamen vinci. Dilacerato corpore, in fractus animus restitit. Tandem victo tyranno, capite plexus, illustre fidei testimonium Ecclesiæ reliquit tertio nonas februarii, anno Christi tercentesimodecimesimo.

¶ Stola jucunditatis.

In iii. Nocturno, *Homilia in Evangelium.* Si quis vult post me venire, de *Communium ij. loco.*

DIE V. FEBRUARII.

B. Philippi a Jesu, patroni principalis ac martyris Mexicani.

Duplex 4 classis in civitate et diocesi Mexicana.

In diocesis vero suffraganeis. Duplex majus.

Omnia de *Communium unius Mart., præter seq.*

Oratio.

Deus, qui inter primos Japoniæ martyres beatum Philippum, cruci aligatum, triplicique lancea confossum, primum omnium martyrio coronasti; concede propitius, ut ejusdem nos suffulti patrocinio, cum illo pariter coronemur in cœlis. Per Dominum.

Ad Matutinum.
Hymnus.

SALVE, triumphalis pugil,
Decus novi orbis maximum,
Qui morte fecisti tua
Beatiorem patriam.

Athleta princeps Mexici.

Trophæa celsa martyri,
Dignamque cœlo lauream
Tu primus inferis patriam.
Quidquid juvenis servida

Peccaverat licentia,
Libenter in mortem ruens
Sancta expiasti victima.

Tui fac ut nos æmuli,
Dolore cordis intimo,
Jugique penitentia
Nostra eluamur crimina.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sanctoq; item Paraclito
Per omne semper sæculum.
Amen.

In primo Nocturno.

Lectio i.

Ex Lib. Tob. Cap. 10.

FLEBAT igitur mater ejus irremediabilibus lacrymis, atque dicebat :

Heu, heu me, fili mi !
utquid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, spem posteritatis nostræ? Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis. Cui dicebat Tobias : Tace, et noli turbari : sanus est filius noster : satis fidelis est vir ille, cum quo misimus eum. Illa autem nullo modo consolari poterat, sed quotidie exiliens circumspiciebat, et circuibat vias omnes per quas spes remeandi videbatur, ut procul videret eum, si fieri posset, venientem.

Iste sanctus.

Lectio ij.

APERIENS autem Tobias senior os suum, benedixit Dominum, et dixit : Magnus es, Domine, in æternum, et in omnia sæcula regnum tuum : quoniam tu flagellas, et salvas : deducis ad inferos, et reducis : et non est qui effugiat manum tuam. Confiitemini Domino, filii Israël, et in conspectu gentium laudate eum : quoniam ideo dispersit vos inter gentes quæ ignorant eum, ut vos enarretis mirabilia ejus, et faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens præter eum. Ipse castigavit nos

propter iniquitates nostras, et ipse salvabit nos propter misericordiã suam. Aspice ergo quæ fecit nobiscum, et cum timore et tremore confitemini illi, regemque sæculorum exaltate in operibus vestris.

R. Justus germinabit.

Lectio ij.

EGO autem in terra captivitatis meæ confitebor illi, quoniam ostendit majestatem suam in gentem peccatricem. Convertimini itaque, peccatores, et facite justitiam coram Deo, credentes quod faciat vobiscum misericordiam suam. Ego autem et anima mea in eo latabimur. Benedicite Dominum omnes electi ejus, agite dies lætitiæ, et confitemini illi. Jerusalem civitas Dei, castigavit te Dominus in operibus manuum tuarum. Confitere Domino in bonis tuis, et benedic Deum sæculorum, ut reedificet in te tabernaculum suum, et revocet ad te omnes captivos, et gaudeas in omnia sæcula sæculorum.

R. Iste cognovit.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PHILIPPUS de las Casas, sive a Jesu, Mexici Hispanis parentibus natus, ea adolescens vivebat libertate ac licentia, ut ipsismet parentibus

ideo prope esset exosus : quod ita illius pupugit animum, divina simul gratia illustratum, ut franciscanum institutum arripere statuerit. Sumpto tamen habitu, nec satis gnarus quam arduum cum callido hoste inisset certamen, esse illius illecebris, abiitque et Religione. Ea inconstantia tantum dolorem parentibus attulit, ut, ne ipsorum perpetuo vulneraret obtutum, in Chinam eum negotiationis ergo ablegavit. Aliquanto post tempore, cogitantem quã periculosam in libertate patria procul, vitam ageret, quæque in Religione

(Deo quoque ad ea rumina impellente) vidisset ac reliquisset bona, novus ardor accendit et hæc postliminio repetendit, et toto animo divini Spiritus instinctibus obsequendi. Manilam ergo, nescio cujus negotii causa, profectus, eo absolute, ambit denuo religiosum habitum, et impetrat in cœnobio sanctæ Mariæ de Excelis patrum minorum exalceatorum : ubi egregia approbatione, peracto tyrocinio, solemniam demũ vota professus est.

R. Honestum.

Lectio v.

HUJUS mutationis perlato Mexicum nuntio,

vehementer exhilarati parentes supremum ordinis in India præsidem, quem commissarium generalem appellat (is tunc Mexici erat) obsecrant, filium sibi in seraphico illo habitu videre ut per eum liceat. Lubens piis parentibus ea in re gratificatus commissarius, scripsit in Philippinas, ut confestim Mexicum Philippus mitteretur. Ea causa navem sancti Philippi tutela creditam atque insignitam nomine conscendit: quæ vi tempestatis convulsa, et in Urandum Tozzani regni portum ejecta, ipse brevi portum æternæ beatitudinis laurea martyrii redimitus tenuit. Omen Philippo martyrii fuit, quod dum procellis jactaretur in qua is erat sancti Philippi navis, ea parte coeli quæ Japonem respiciebat, vidit crucem candidam, figura expressam similium earum in quas dein sublati martyres fuere; post in sanguineum colorem mutasse itidem ad horæ quadrantem; demum nigra nube obvolutâ. Omnia respondit eventus. Nam serviente in Japonia adversus christianæ fidei præcones persecutione, beatus Philippus in vincula conjectus, et cum aliis sociis fuit morte damnatus. ✠ Desiderium.

Lectio vj.

PERDUCTUS itaque cum cæteris in triumphalem campum, paratam sibi crucem positus humigenibus amplexatus, in hæc prorupit verba: O fortunatam navem! O felicem sancti Philippi galeonem! O jacturam mihi minime damnosam, sed omni lucro quæstuosiorum! Ei cruci, dum transversarium lignum inseritur, cui qui pendet utcumque insidet, falente mensura quam solo fortasse intuitu faber collegerat, demissius aliquanto positum est, quâ ut inniti beatus Martyr posset. Quamobrem erecta cruce, cui sancti viri alligata ferreis vinculis brachia, collum ac tibie erant, ita subsedit ponderis suo corpus, ut ea numella quæ guttur stringebat, pene suffocaretur; magno igitur fervore animi Jesu! inclamat. Quo animadverso iudex, priusquam strangularetur, configi lanceis jubet: atque ita primus omnium triplici lanceæ ictu palmam martyrii obtinuit, qui postremus in Japoniam venerat. De eodem, et de viginti quinque martyrii sociis Urbanus Octavus Pontifex maximus, officium recitari et Missam respective celebrari concessit. Ipsius au-

tem beati Philippi gloria magna devotione Mexici colitur, dicato in illius honorem templo, et capuccinarum virginum insigni cœnobio.

✠ Stola jucunditatis.

✠ In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abb.

In Vigilia, et in die

S. Andreae Apost.

MERITO crucis amatorem venerantur, quicumque sunt servi crucis; sed ab his ampliore jure devotionem exigit, qui specialius proposuerunt tollere crucem suam. Vobis hæc et de vobis dico, fratres mei, qui non surda aure audistis illam evangelicam tubam: Qui non bajulat crucem suam et sequitur me, non potest meus esse discipulus. Parati estote, totam animi diligentiam adhibete solemnitati, et corde magno celebrate eam: quia magnus omnino consolationis thesaurus repositus est in ea, si fuerit qui fodiat et scrutetur.

✠ Corona aurea.

Lectio viij.

CESTE et crux pretiosa est, et crux amari potest, et crux habet exultationem. Ita est. Si fuerit qui colligat, semper lignum crucis vitam germinat, fructificat jucunditatem, oleum lætitiæ stillat, balsamum sudat spiritualium charismatum. Non est silvestris arbor, lignum vite est apprehendentibus eam. Arbor fructifera, arbor salutaris est: aliquin quomodo Domini eam occuparet terram? Illam dico pretiosissimam glebam, quæ clavorum est infixa radicibus.

✠ Illic est vere.

Lectio ix.

Nos cum beato Philippo necesse habemus tollere crucem nostram, imo cum eo, quem ipse secutus est, Domino Salvatore. Inde enim sic lætatur, inde exultat, quod non solum pro eo, sed etiam cum eo mori videatur, et complantari similitudini mortis ejus, ut compatiens etiam conregnaret. Cum quo ut simul crucifigamur et nos, attentius auribus cordis audiamus vocem dicentis: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Ac si dicat: Qui me desiderat, se despicat: Qui vult facere

voluntatem meam, discat frangere suam.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, Hymnus.

PHILIPPE, Martyr inclyte, Jesu fidelis assecta, Quem prætulisti nomine Ad usque vis mortem sequi.

Confossus hasta triplici, Fusoque rorans sanguine, Disilentus expirans cruce Jesu refers imaginem.

Sodalium tu martyrum Primoris is et signifer, Agmenque ducens cælum

Prior profundis sanguinem.

Audi precantum civium Voces, piæque lacrymas; Ductorque noster sedibus Nos tu beatissimè insere.

Virtus, honor, laus, gloria,

Patris sit atque Filio, Sancto simul Paraclito Nunc et per omne sæculum. Amen.

DIE XIII. FEBRUARII.

S. Catharinae de Ricciis, Virg.

Duplex. Angelopoli. Omnia de Comm. Virg. præter sequentia.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui beatam Catharinam virginem tuo amore succensam, Passionis contemplatione clarescere voluisti; ejus intercessionem concede, ut Passionis my-

steria devote recolentes, ejus fructum percipere mereamur. Qui vivis.

In I. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente; in Quadrag. De virginibus.

In secundo Nocturno. Lectio iv.

CATHARINA nobili familia de Ricciis Florentiæ nata, vel ab ineunte ætate piam indolem præmaturo ostendit. In suburbano monasterio sancti Petri de Monticulis, ubi morum disciplina imbueretur, collocata, quotidie ad Christi crucifixi imaginem orans, non sine lacrymis, horis etiam animi relaxationi addictis, ejus passionem meditabatur. Ad monasterium postea sancti Vincentii ordinis sancti Patris Dominici in civitate Prati translata, paternos lares ad tempus repetere, nisi certa spe reditus habita, constanter recusavit. Tandem anno decimotertio, sæculi deliciis contemptis, ibidem religiosum institutum professæ est.

Propter veritatem.

Lectio v.

CHARITATE in Deum fervens orationi fere assidue vacabat, quidquid temporis necessariis occupationibus et modicæ quieti supererat, in ea insumens: utque corpus in servitutem redigeret, fer-

rea catena et flagellis illud macerabat. Cibi parvissima, octo supra quadraginta annis carnibus abstinuit. leguminibus plerumque et herbis vescens, interdum vero solo pane et aqua contenta. Proximorum æternam salutem exoptans, ardentissimas ad Deum pro peccatorum conversione preces fundebat. Tanto enim commiserationis sensu erga purgantem animam commota est, ut acerbissimos dolores sibi divinitus inflictos in penarum illi debitum expiationem pertulisse visa sit. Eximia prudentia et regulari observantiæ zelo moniales diu rexit, eas non minus exemplo quam adhortationibus ad omnem sanctimoniam informans; quo in officio humilitatem adeo coluit, ut abjectissima quæque opera sponte obiret, ac infirmis præcipua charitate et summo studio inserviret.

Dilexisti.

Lectio vi.

SUPERIORUM charismatū copia, singularis in ea enituit; annulo desponsationis, sacrisque stigmatibus, quæ non semel spectanda se exhibuerunt, acceptis. Plurimum annorum spatio quinta et sexta feria in altissimam contemplationem raptâ, singulos Redemptoris cru-

ciatus in passione tolerantis ex ordine in corpore mirabiliter sentire consuevit. Prati degens sanctum Philippum Nerium Romæ commorantem videre promeruit, ejusque colloquio frui. Extasum, raptum, coelestium visionum ac prophetici luminis dono illustris, futura prædixit ac simul occulta revelavit. Gravibus denique morbis decumbens, Ecclesiæ sacramentis munita, anno a Christo nato millesimo quingentesimo nonagesimo, atatis sexagesimo nono, quarto nonas februarii in cælum migravit. Eam Benedictus Decimus quartus, Pontifex maximus, solemniter sanctorum virginum factis ascriptis anno salutis millesimo septingentesimo quadragesimo sexto.

Afferentur regi.

In ij. Nocturno, Homil. in Evang. Simile erit regnum cælorum. de Comm. loco.

DIE XIV. FEBRUARII.

S. Gelasii, Martyris, cuius Reliquia asservantur in Alma Metropolitana Ecclesia.

Duplex.

Oratio. Præsta, quæsumus, secundo loco.

Lectiones. I. Nocturni de Scriptura occurrente: in Quadrag. Fratres de Debitores de Communi.

In ij. Nocturno, Principes, de Communi ij. loco.

In ij. Nocturno Homilia in Evangelium, Nihil est opertum, ut in Brev. Rom. die xxj. Januarii, Festo S. Polycarpi.

FER. VI. POST CINERES. Festum quinque Plagarum Domini nostri Jesu Christi.

Duplex majus.

Ad Vesperas, Añã et Capitulum de Laudibus Psalm. 1. Credidi. 2. Ad Dominum cum tribularer. ut in Vesperis Feria ij. 5. Eripe me Domine. 4. Domine clamavi. 5. Voce mea, ut in Vesperis Feria vj.

Hymnus.

PANGE, lingua, gloriosi Lauream certaminis, Et super crucis trophæo Dic triumphum nobilem, Qualiter Redemptor orbis Immolatus vicerit.

De parentis protoplasti Fraude factor condolens, Quando pomi noxialis In necem morsu ruit:

Ipse lignum tunc notavit, Danna ligni ut solveret.

Quocirca opus nostræ salutis Ordo deposcerat, Multiformis proditoris Ars ut artem falleret, Et medalam ferret inde, Hostis unde læserat.

Quando venit ergo sacri Plenitudo temporis, Missus est ab arce Patris Natus orbis conditor;

Atque ventus virginali Carne amictus prodit.

Vagit infans inter arcata Conditus præsepia:

Membra pannis involuta Virgo mater alligat,

Et Dei manus, pedesque Stricta cingit fascia.

Sempiterna sit beata Trinitati gloria.

Aqua Patri, Filioque Par decus Paraclito:

Unius, Trinique nomen. Laudet universitas. Amen.

Videbunt, in quem translexerunt. 2. Et dolent super eum, ut in morte primogeniti.

Ad Matutinum, Añã.

Dum in cruce penderet unigenitus Dei Filius, et ab omnibus subsannaretur, mater ejus Virgo Maria ipsum verum Deum et hominem condolens venerabatur.

Oratio ut ad Laudes, et Com. Feria.

Ad Matutinum, Invitat. Christum in Cruce confixum, quinque plagis vulneratum, * Venite, adoremus.

Hymnus. Pange lingua, ut supra.

In primo Nocturno, Añã. Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Psalmus 40.

In Domino confido. In j. Noct. Dominice.

Añã Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Ps. 44. Domine quis habitabit ibid.

Añã. Torcular calcavi solus, et de genibus non fuit vir mecum. Ps. 25. Domini est terra. In feriali Officio ad Primam.

Foderunt manus meas, et pedes meos. 2. Dinumeraverunt omnia ossa mea.

De Isaiã Propheta.

Lectio j. Cap. 53.

Quis credit auditui nostro? et brachium

Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitiienti.

Non est species ei, neque decor; et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: Despectum, et novissimum virorum, Virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus et despectus: unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, atritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.

2. Gratificavit nos Deus in dilecto filio suo: * In quo habemus redemptionem

per sanguinem ejus in remissionem peccatorum. 2. Ecce venit plenitudo temporis, in quo misit Deus filium suum in terras. In quo.

Lectio ij.

Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominum in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondeute se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia, et de judicio sublatus est: generatio nem ejus quis enarrabit? Quia abscessus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussus eum. Et dabit impius pro sepultura, et divites pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit contere eum in infirmitate.

2. Nos qui aliquando eramus longe, facti sumus prope in sanguine Jesu Christi. * Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Ipse.

Lectio iij. Cap. 63.

Quis est iste qui venit de Edom, tinctis

vestibus de Bosra? Iste feromus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae. Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus, et de genibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea, et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim ultiionis in corde meo, annus redemptionis meae venit. Circumspexi, et non erat auxiliator; quæsi, et non fuit, qui adjuvaret.

¶ In primogenito ex mortuis complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum. * Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt. Ipse est caput corporis Ecclesiæ in omnibus primatum tenens. Pacificans. Gloria. Pacificans.

In secundo Nocturno.

Antiphona. Foderunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. Ps. 21. Deus, Deus meus, respice in me. In ferjali officio ad Primam.

Antiphona. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Ps. 68. Jubilate Deo omnis terra. Fer. iv. ad Matutinum.

Antiphona. Vulnus et livor, et plaga tumens non est circumfligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Ps. 75. Notus in Judæa Deus. Fer. v. ad Matutinum.

¶ Vere languores nostros ipse tulit. ¶ Et dolores nostros ipse portavit.

De sermone S. Bernardi Abbatis.

Lib. de Pass. Domini. Cap. 41.

LECTIO IV.

CAPTUS est Jesus post plurimas illusiones tam Judæorum, quam Gentium: post sanguinis plures effusiones, clavis immitibus manibus simul, et pedibus perforatus: et configitur ligno crucis. Salvator noster mitissimus Jesus. Intuere et respice rosam passionis sanguinea, quomodo rubet in indicium ardentissima charitatis. Contendunt passio et charitas: ista ut plus ardeat, illa ut plus rubeat.

¶ Per mortem destruxit Jesus eum qui mortis habebat imperium. * Ut liberaret eos qui timore mortis obnoxii erant servitutis. ¶ Unde debuit

per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret. Ut.

LECTIO V.

Vine quomodo hoc flore rosæ floruerit optima vitis nostra, rubicundus Jesus. Vide totum corpus, sicubi rosæ sanguinea florem non invenias. Inspice manum unam et alteram, si florem rosæ non invenias in utraque. Inspice pedem unum et alterum, numquid non rosei? Inspice lateris aperturam, quia nec illa caret rosa, quamvis ipsa subrubea sit propter mixturam aquæ: quia sicut narrat Evangelista, cum unus militum lancea latus ejus perforasset, exiit sanguis et aqua.

¶ Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. * Et sicut in Adam omnes peccaverunt, ita in Christo omnes vivificabuntur. ¶ Novissime autem inimica destruetur mors. Et. De eodem D. Bernardo Serm. de Pass. Dñi.

LECTIO VI.

RESPICE, Domine sancte Pater, de sanctuario tuo et de excelso cælorum habitaculo: et intuere hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus puer tuus Dominus Jesus, pro peccatis fratrum suorum; et esto

placabilis super multitudinem malitiæ nostræ. Cognosce, Pater, tunicam filii tui Joseph: heu! fera pessima devoravit eum, et conculcavit in furore suo vestimentum ejus: Ecce, quinque scissuras lamentabiles in eo reliquit.

¶ Videmus Jesum propter Passionem mortis gloria et honore coronatum. * Ut pro omnibus gustaret mortem. ¶ Decebat eum qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum pro passionem consummari. Ut. Gloria. Ut. In tertio Nocturno.

Antiphona. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Ps. Cantate, cum reliquis, ut in iij. Nocturno de Comuni Virg. Antiphona. His plagatus sum in domo eorū qui me diligebant. Antiphona. In amaritudine sermo meus est; et manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum.

¶ Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras. ¶ Attritus est propter scelera nostra.

¶ Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO VII. Cap. 19.

¶ In illo tempore: Sciens Iesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Episc. Alexandrini.

Lib. 42. Comment. in Joann.

Cum ab immanibus Judæis omnis in Christi expleta esset impietas, nec quicquam jam ad summam crudelitatem reliquum esset; ad extremum caro Christi sanctissima proprium quiddam ac naturale rarsus patitur. Multis enim ac variis doloribus exsiccata, siti torquetur. Graves siquidem dolores magnam ad sitim commovendum vim habent, naturali quodam et inexplicabili calore humidum consumentes, et igneis ardoribus præcordia urentes.

Manifestata est gratia Dei per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi: Qui destruxit mortem, illuminavit autem vitam et incorruptionem. Liberavit et vocavit nos vocatione sua sancta per gratiam, quæ data est nobis in Christo. Qui.

Lectio viij.

CONSUMMATUM esse, ait, impietatis judæicæ modum, et impotentem sæviendi animum: Quid enim Judæi intentatum reliquerunt, aut quid non extremæ crudelitatis adhibuerunt? Quod supplicii aut contumeliæ genus prætermiserunt? Quam-

obrem jure, consummatum est, ait: sed hora jam enim ad prædicandum spiritalibus, qui apud inferos erant, invitante (advenit enim, ut mortuorum ac vivorum dominaturus) ipsam pro nobis mortem suscepit, et communem hanc naturæ nostræ passionem sustinuit in carne sua.

Accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo. In sanguine tuo. Fecisti enim nos Deo nostro regnum, et sacerdotes. In Gloria. In.

Lectio ix. de Homilia Feria.

AD LAUDES.

et per Horas, Ant.

VERE languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. *Ps. de Dominicis.* Ant. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra. Ant. Alligavit Dominus plagam populi sui, et percussuram ejus sanavit. Ant. Omnis qui transibit, stupebit super omnes plagas ejus. Ant. O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.

Capitulum Isaie 55.

CHRIStUS vulneratus est propter iniquitate

nostras; attritus est propter scelera nostra: cujus livore sanati sumus.

Hymnus.

LUSTRA sex qui jam peregit
Tempus implens corporis,

Sponte libera Redemptor
Passionis deditus,
Agnus in Crucis levatur
Immolandus stipite.

Felle potus ecce languet,
Spina, clavi, lancea
Mite corpus perforarunt;
Unda manat, et eror:

Terra, pontus, astra,
mundus

Quo lavantur flumine!

Crux fidelis inter omnes
Arbor una nobilis:
Silva talem nulla profert
Fronde, flore, germine:

Dulce ferrum, dulce lignum

Dulce pondus sustinent.

Flecte ramos, arbor alta,
Tensa laxa viscera,
Et rigor lentescat ille,
Quem dedit nativitas;

Et superni membra Regis
Tende mihi stipite.

Sola digna tu fuisti
Ferre mundi Victimam;
Atque portum præparare
Arca mundo naufrago,
Quam sacer orator perunxit

Fusus Agni corpore.

Sempiterna sit beata
Trinitati gloria,
Æqua Patri, Filioque;
Par decus Paraclito:
Unius, Trinique nomen
Laudet universitas. Amen.

Videbunt, in quem transfixerunt. Et dolent super eum, ut in morte primogeniti.

Ad Benedictus, Ant. Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.

Oratio.

DEUS, qui unigeniti Filii tui passionem, et per quinque vulnera ejus sanguinis effusione, humanam naturam peccato perditam reparasti, tribue nobis, quæsumus, ut qui ab eo suscepta vulnera veneramus in terris, ejusdem pretiosissimi sanguinis fructum consequi mereamur in cælis. Per eundem.

Comm. Feria.

Ad Tertiam, Ant.

Ipse autem.

Capitulum. Christus vulneratus est, ut supra.

br. Foderunt manus meas, et pedes meos. Foderunt. Dinumeraverunt omnia ossa mea. Et. Gloria Patri. Foderunt. O vos omnes, qui transitis per viam. Attendite et videte dorem meum.

Ad Sextam, Ant.

Alligavit Dominus.

Capitulum. Isa. 50.

FACIEM meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me. Dominus meus auxiliator

meus, et ideo non sum confusus.

℞. br. Vere languores nostros. Ipse tulit. Vere. Et dolores nostros ipse portavit. Ipse. Gloria Patri. Vere. Disciplina pacis nostræ super eum. Et livore ejus sanati sumus.

Ad Nonam, Añã.

O vos omnes.

Capitulum. *Isaiæ* 55.

TRADIDIT Christus in mortem animã suam, et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

℞. br. Ipse vulneratus est. Propter iniquitates nostras. Ipse. Attritus est propter scelera nostra. Propter Gloria Patri. Ipse. Oblatus est, quia ipse voluit. Et non aperuit os suum.

Ad Vesperas Añã, Psalmi, Capitulum, Hymnus, et 9. ut in j. Vesperis.

Ad Magnificat, Añã.

Ego sum vestra redemptio; manus meæ, quæ vos fecerunt, clavibus sunt: propter vos flagellis cæsus sum; spinis coronatus sum; aquâ petii pendens, et acetum porrexerunt; in escam meam fel dederunt, et in latus lanceam; mortuus, et sepultus resurrexi, vobiscum sum, et vivo in æternum.

DIE XXI. FEBRUARII.

S. Angelæ Mericiæ, Virginis.

Duplex. Angelopoli. Omnia de Communi Virg., præter sequentia. Oratio.

DEUS, qui novum, per beatam Angelam sacrarum virginum collegium in Ecclesia tua florescere voluisti: da nobis ejus intercessione angelicis moribus vivere; ut, terrenis omnibus abdicatis, gaudiis perfrui mereamur æternis. Per Dominum.

In j. Nocturno Lectioes de Script. occur. In Quadrag. De virginibus.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANGELÆ Mericiæ, Decentiani, Veronensis diocesis oppido ad lacum Benacium in ditone Venetæ, piis orta parentibus, a prima ætate virginitalis liliū, quod perpetuo servare statuerat, sedula sepsit. Ab omni muliebri ornatu abhorrens, egregiam vultus formam, pulchramque cæsariem studiosè lædavit, ut cœlesti duntaxat animarum sponsa placeret. In ipso autem adolescentiæ flore parentibus orbata, austerioris vitæ desiderio in desertum locum aufugere tentavit. sed ab avunculo prohibita, novit præstare domi quod in solitudine

Festa Februarii.

127

non licuit. Cilicio ac flagellis frequenter usa, carnes nonnisi infirma valetudine, vinum in Nativitatis et Resurrectionis Dominicæ tantum celebritate, complures vero dies nihil omnino degustavit. Orationi dedita brevissimum humi carpebat somnum. Dæmonem vero sub lucentis angeli forma sibi illudere conantem, agnovit protinus et coniecit in fugam. Tandem paternis bonis abdicatis, et habitum ac regulam tertii Ordinis sancti Francisci amplexa, evangelicam paupertatem virginitalis laudi conjunxit.

℞. Propter veritatem.

Lectio v.

NULLUM pietatis officium erga proximos omitens, pauperibus, quidquid sibi ex emendicato victu superesset, largiebatur: libenter ministrabat ægrotis: pluraque cum magna sanctitatis fama peragravit loca, ut vel solatio esset afflictis, vel reis veniam impetraret, vel infensos invicem reconciliaret animos, vel e vitiorum cœno scelestos revocaret. Angelorum patre, quem unice esuriebat, frequentissime relecta, tanta charitatis vi ferebatur in Deum, ut sæpius extra sensus raperetur. Sacra Palæstinæ loca summa cum religione obivit:

quo in itinere et visum quem ad Cydonias appulsa oras amiserat, eodem regressa recuperavit, et barbarorum captivitatem ac naufragium imminens divinitus evasit. Romam de vicino firmam Ecclesiæ petram veneratura, et amplissimæ Jubilæi veniæ percupida, sedente Clemente Septimo accessit: quam summus Pontifex allocutus, ejusdem sanctimoniam suspexit et commendavit summo opere; nec ab Urbe ipsam abire ante permisit, quam alio cœlitus vocatum agnovit.

℞. Dilixisti.

Lectio vj.

BRIXIAM itaque, ubi domum ad sanctæ Aphræ templum conduxit, reverſa, novam ibi virginum societatem, sicut cœlesti voce ac visione mandatum sibi fuerat, sub certa disciplina, sanctisque vivendi regulis constituit, quam sanctæ Ursulæ invictæ virginum ducis patrocinio ac nomine insignivit: eam vero perennem futuram morti proxima prædixit. Tandem prope septuagenaria dives meritis evolavit in cœlum sexto Calendas februaras anni millesimi quingentesimi et quadagesimi, cujus cadaver per ipsos triginta dies inhumatum,

flexibile ac vivo simillimum perseveravit. Deum in sanctæ Aphræ templo inter cæteras, quibus illud abundat sanctorum reliquias reposito, plurima ad ejus sepulchrum agi statim cœpere miracula: quorum fama late diffusa non Brixie modo et Decentiani sed alibi etiam, vulgo cœpit nuncupari beata, ejusque imago aris imponi, immo sanctus ipse Carolus Borromæus, non multis post annis dignam, quæ ab Apostolica Sede in sanctarum virginum album referretur, Brixie palam asseruit. Cultum vero illi jam diu a populis exhibitum, et tum locorum Ordinariis probatum, tum pluribus etiam summorum Pontificum indultis munitum, Clemens Papa Tertius decimus solemnî decreto ratum habuit ac confirmavit.

R. Afferentur regi.

In iij. Nocturno, Homilia in Evang. Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, de Communi.

DIE XXII. FEBRUARII.

S. Margaritæ de Cortona, Virginis.

Duplex. Angelopoli.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Martyr. præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui famulam tuam Margaritam de

perditionis via ad salutis tramitem misericorditer deduxisti: eadem nobis miseratione concede, ut quam prius errantem sectari non erubuimus, mox pœnitentem impigre sequi gloriemur. Per Dominum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrages. Mulierem fortem.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MARGARITA, a loco dormitionis Cortonensis appellata, Laviani in Tuscia ortum habuit. Primis adolescentiæ suæ annis mundi voluptatibus capta, in Montis Politiani civitate vanam et lubricam vitam duxit: sed cum amasium ab hostibus fœde transfossum indicio canis in fovea sub strue lignorum tumulatum fortuito reperisset, illico facta est manus Domini super eam, quæ magno culparum suarum mœrore tacta, exiit foras et flevit amare. Itaque, Lavianum reversa, crine detonso, neglecto capite, pullaque veste contacta erroribus suis, mundique illecebris nuntium misit: inque ædibus Deo sacris fune ad collum alligato, humi procumbens, ab omnibus quos antea moribus suis palam offenderat, veniam

exoravit. Mox Cortonam profecta, in cinere et cilicio a se læsam Dei majestatem placare studuit, donec post triennale virtutum experimentum a fratribus minoribus spiritualis vitæ ducibus Tertii ordinis habitum impetravit. Uberes exinde lacrymæ ei familiares fuerunt atque ima suspiria, tanta animi contritione ducta, ut diu elinguis consisteret. Lectulus nuda humus, cervicalis lapis aut lignum porrexit; atque ita noctes insomnes in cœlestium meditatione trahere consuevit: nullum amplius pravum desiderium perpessa, dum bonus spiritus promptior infirmam carnem ad subeundos labores erigebat.

R. Propter veritatem.

Lectio v.

Adæmone insidiis funestisque conatibus læcessita, mulier fortis hostem ex verbis detectum semel atque iterum invicta repulit. Ad eludendum vanæ gloriæ lenocinium, quo a malo spiritu petebatur, præteritos mores suos per vicos et plateas alta voce accusare non destitit, omni supplicio se ream inclamans: nec nisi a confessario deterrita, in speciosam faciem olim impuri amoris causam sævire abstinuit, ægre ferens suam formam

longa carnis maceratione non aboleri. Quibus, aliisque magnæ pœnitentiæ argumentis suorum criminum labe expiata, atque ita de se triumphatrix, ut sensus plane omnes a mundi illecebris custodiret, digna facta est quæ sæpe Domini consuetudine frueretur. Eiusdem quoque Christi et Virginis matris dolorum, quod ipsa ardentè expetierat, particeps facta, cunctis sensibus destituta et vere mortua interdum visa est. Ad eam proinde, veluti ad perfectionis magistram, ex dissitis etiam regionibus plurimi conveniebant: ipsa vero cœlesti quo erat perfusa lumine, cordium secreta, conscientias hominum, immo et peccata in remotis licet partibus Deum offendentium, cum dolore et lacrymis detegens, summaque in Deum et proximum charitate fervens, ingentem animarum fructum operata est. Ægris ad se venientibus salutem, obsessis a dæmone liberationem impetravit. Puerum defunctum, lugente matre, ad vitam reduxit. Imminentes bellorum tumultus assiduis orationibus sedavit. Denique summæ pietatis operibus vivos et mortuos sibi demeruit.

R. Dilexisti justitiam.

Lectio vj.

Tor sanctis operibus occupata, de rigore quo assidue corpus suum exercebat, nihil remisit, neque a studio cœlestia mediandi se avelli passa est: in utroque vitæ genere plane admiranda, utramque sororem Magdalenam et Martham referens. Tandem pro se Dominum orans, ut ex hac valle lacrymarum sursum in cœlestem patriam revocaretur, exaudita est oratio ejus, die atque hora dormitionis ei patefactis. Meritis itaque et laboribus plena, ac cœlestibus donis cumulata cœpit corporis viribus destitui, perque dies decem et septem nullo cibo sed divinis tantum colloquiis refecta est: tum sanctissimis Ecclesiæ sacramentis rite susceptis, vultu hilari atque oculis in cœlum conversis, octavo Calendas martias, anno ætatis quinquagesimo, suæ conversionis vigesimo tertio, humanæ vero salutis millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, felix migravit ad sponsum. Corpus in hanc usque diem vegetum, incorruptum, illæsum et suaviter olens summa religione colitur in ecclesia fratrum minorum, quæ jam ab eadem Margarita appellatur. Miraculis continuo

floruit, quibus permoti romani Pontifices ad augendum ejus cultum plurima liberaliter indulerunt: Benedictus vero Decimus tertius in festo Pentecostes die sextadecima maji anni millesimi septingentesimi vigesimi octavi solemnem ejus canonizationem religiosissime celebravit.

R. Fallax gratia.

In iij. Nocturno, Homilia in Evangelium, Simile est regnum cœlorum thesauro, de Communi. DIE XXVIII. FEBRUARII. S. Emigdii, Episcopi et

Martyris.

Duplex minus.

Angelopoli.

Omnia de Communi unius Martyr. præter seq. Oratio.

Deus, qui beatum Emigdium, martyrem tuum atque Pontificem, idolorum victoria et miraculorum gloria decorasti, concede propitius ut, eo interveniente, malorum spirituum fraudes vincere, et coruscare virtutibus mereamur. Per Dominum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. A Miletu.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

EMODIUS, e nobili Francorum prosapia Treviris natus, anno ætatis vigesimo tertio, parenti-

bus idololâtris frustra obstantibus, fidem Christi suscepit et constantissime professus est. Cum tribus discipulis Euplo, Germano et Valentino vitam duxit, ac humanis spretis oblectamentis, rebus divinis plenus incubebat: erga proximum charitatis ardore æstuabat, idcirco ad procurandam multorum salutem Romam se contulit. Hospitio exceptus in Insula Tiberis, hospitium filiam per quinquentium annorum morbo languentem baptismum salvavit.

R. Honestum fecit.

Lectio v.

Mox oculis cæci coram populo signo crucis apertis, a multitudine eum filium Apollinis credente in templum Esculapii rapitur: ibi Christi servum se professus, ejus invocatione magnum numerum ægorum, nequiquam idoli opem implorantium, valetudini restituit. Aras diruit Esculapii; signum contractum in Tiberim projecit. Quibus rebus et mille terentorum Gentilium præter Esculapii sacerdotes conversione inde secuta, irritati Posthumii Titiani præfecti Urbis minas angeli monitu declinans, sanctum Marcellum Pontificem adiit, a quo episco-

pus ordinatus, et Asculum missus est.

R. Desiderium.

Lectio vj.

MULTIS in itinere miraculis ingenti multitudine Christo adjuncta, simul ac Asculum Emigdium pervenit, dæmones et simulacris idolorum per cuncta fana ejulatibus editis, peregrinum doloris sui causam indicantem eum ad se vocatum multis sed irritis verbis ad Jovis et Angariæ Deæ Asculi Patronæ venerationem hortatur, promissis etiam in præmium nuptiis propriæ filiæ Polissæ, quam Emigdium ad Christum conversam baptizavit, et post eam mille et sexaginta homines, educta a saxo per ingens miraculum aquarum copia. His in rabiem actus Polymius sancto Episcopo caput abscedit, quo facto, truncus ejus mirabiliter erectus abjectum humo proprium caput attollens manibus, per spatium terentorum passuum ad oratorium portavit: inde ad templum maximum translatus est, ubi magna religione Asculani populi, et concursu exterorum hunc usque in diem colitur. Incidit ejus

beata mors, persecutione Diocletiani durante.

¶ Stola.

In *ij. Nocturno, Homilia in Evangelium, Cum audieritis praelia, ut in Dominica j. Adventus.*

DIE VI. MARTII.

S. Coletæ, Virginis.

Duplex. Angelopoli.

Omnia de Comm. Virg., præter seq. Oratio.

DOMINA Jesu Christe, qui beatam Coletam virginem tuam celestibus donis cumulasti, tribue, quæsumus; ut ejus virtutes æmulantes in terris, æternis gaudiis cum ipsa perfruamur in cælis. Qui vivis.

In *j. Nocturno, Lectio-nes de Script. occur. In Quadrag. De virginibus. In secundo Nocturno.*

Lectio iv.

PICARDIÆ, civitas Corbeja diocesis Ambianensis, beata Coletæ natalibus ex matre sterili et sexagenaria illustris effecta est. Hæc ab ineunte ætate cepit ardentius colere officia charitatis; ita ut quidquid habere poterat, hilariter pauperibus largiretur. Orationi assidue vacans, solitaria loca quærebat, tenerum ibi corpusculum affligens, jejuniis carnem spiritui subjiciens, catena ferrea cilicioque nunquam; aut raro depositis humi cubans, cum eam necessa-

rius somnus occupabat. Quartumdecimum ætatis annum agens, orationibus impetravit a Domino, ut corpus suum, quod exiguum remanebat, subito ad justam magnitudinem excreverit, ac vultus venustas, ne forte alicui occasionem præberet delinquendi, in terream colorem mutaretur. A dæmonibus frequenter lacerata, diversisque apparitionibus exagitata, vulneribusque toto corpore lacerata, ab oratione tamen nunquam recedebat, in qua sæpe in extasi raptâ, angelorum visione et colloquio potiebatur.

¶ Propter veritatem.

Lectio v.

FACULTATIBUS pauperibus distributis, tertii ordinis sancti Francisci regulam professâ, novas præcedentibus austeritates superaddens, vitam plane coelestem aggressa est, nudis semper pedibus etiam hiemis tempore incedens, et continuis jejuniis corpus suum pene conficiens. Tum se ad restaurandam monialium sanctæ Claræ pluribus in locis collapsam disciplinam, a Deo varie admonita, destinari cognovit: cui humiliter diu reluctans, linguæ oculorumque usu deperditâ, tandem voluntati divinæ sese

subjicere coacta est. Utroque autem sensu mox in integrum restituta, divino spiritu afflata, Apostolica Sedis adire præsentiam decrevit, ut a summo Pontifice prædictum opus executioni mandandi facultatem exproceret. A quo benedictione accepta, susceptoque prædictæ reformationis mandato, in patriam rediens tantum opus alacriter inchoavit.

¶ Dilixisti justitiam.

Lectio vj.

CUM autem summo studio, tam antiquis monasteriis reformandis quam novis extruendis incumberet, ingruentes difficultates admirabili constantia superavit. Paupertatis semper studiosissima, fuit unica tunica, eaque districta contenta, angustissimam cellam in angulo habens nulla superpellectile instructam, præter stramineum saccum qui ei pro lectulo erat. Charitate, patientia, humilitate, mansuetudine, cæterisque virtutibus decorata, dono etiam prophetiæ illustris, abdita fidei mysteria divinitus edocta ita penetravit, ut de his altissime disserreret. Multis tandem et maximis patris miraculis, morte sua ante biennium præcognita, omnibus sacramentis munita, hactisque sororibus ad regu-

larem disciplinam, obdormivit in Domino pridie nonas martii, anno millesimo quadringentesimo septimo, Gandavi in Flandria in monasterio a se ædificato, in quo sacra ejus reliquia assidua fidelium veneratione coluntur. ¶ Afferentur regi.

In *ij. Nocturno, Homilia in Evang. Simile erit regnum cælorum decem virginibus, de Communi.*

DIE IX. MARTII.

S. Catharinæ Bonon. Virg. Duplex. Angelopoli. Omnia de Comm. Virg. præter seq. Oratio.

Oratio.

CONCEDE nos famulos tuos, Deus, beatæ Catharinæ virginis suffragiis adjuvari: cujus odore ungentorum trahimur ad tua sancta lætantes. Per Dominum.

In *j. Nocturno Lectio-nes, De virginibus.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CATHARINA virgo, Bononiæ nobilibus parentibus Joanne Ferrariensi ex illustri Vigriorum familia, et Benvenuta Bononiensi orta est. Hanc beata Dei genitrix Maria patri per visum prænuntiavit in festo Nativitatis suæ, veluti fulgentissimum solem nascenturam. Quare ab incunabulis Dei benedictione præventa, vitæ innocentiam cum